



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Pauli Laymanni e Societate Iesu Jus Canonicum
Commentario Perpetuo Explicatum**

Et Uberi Non Minus Ac Varia Qvam Clara Et Solida Doctrina Illustratum

Commentarius In Librum III. Decretalium

Laymann, Paul

Dilingae, 1698

Capitulum IV. Liceat.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62482](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62482)

justa causa cum consensu Ordinarij imponuntur; in hoc enim casu cum Ecclesia non fiat censuralis, quod solum prohibetur, sed persona tantum oneretur, vel certe debita solemnitates ad alienandum res Ecclesie interveniant, non apparet, quomodo in prejudicium Ecclesie aut contra Concilij Lateran. mentem agatur aliquid: de quo casu posteriore loquuntur *cap. cum venissent 9. de restit. spoliar. & cap. nisi essent 21. de prebend. & cap. de cetero. 6. de transact.*

CAPITULUM IV.

Licet.

PARAPHRASIS.

Non vult Pontifex Gregorius, ut ad solvendas collectas, & exactiones extraordinarias, compellatur cum alijs pariter cæcus, nulla habita suæ cæcitatæ ratione, eò quòd, ut ait in *b. cap. Pontif. inhumanum* videatur, ut ille, quem cæcitas affligit, magis gravetur ex impositis collectis, cui potius ex collectis, si necessitas esset, subveniri deberet, quàm exigendo collectas tales ab illis affligi magis.

SUMMARIUM.

Miserabilis persona contra onera extraordinaria apud iudicem etiam Ecclesiasticum agere possunt, quamvis non sint de illius jurisdictione.

Notandum. Miserabiles personas, si graventur collectis extraordinarijs, posse auxilium implorare ab Ecclesia, etiam si non sint de jurisdictione illius temporalis, ut advertit etiam *Abbas in cap. significantibus 38. de off. leg. n. 3.* & à muneribus personalibus excusari cæcos, ac simili morbo laborantes, *arg. l. 2. Cod. qui morbo se excusent &c.* Hoc tamen immunitatis privilegium non transire ad cæcorum hæredes, qui defectu oculorum non laborant, bene advertit *Glossa hic v. misereri.*

Pervenit.

PARAPHRASIS.

Abbas Fraxinomensis Ecclesie Carpeni ratione alicujus census, quem ab Ecclesia hac petebat, multam molestiam faciebat; cui tamen Archipresbyter Ecclesie Carpeni se opponens, eò quòd nullam causam solutionis hujus sciret, à Pontifice Paschali II. quæsit, ad quid hoc in casu de jure teneretur: ab hoc rescriptum fuit, censum ignorantæ (id est, cujus causa ignoratur, ut explicat *Glossa hic v. eodem*) nec divinis (Canonis scilicet, ut iterum explicat *Glossa*) nec humanis legibus inveniri (scilicet quòd solvi debeat, ut ait *Glossa final. hic*) causam proinde petendi allegandam, ex qua appareat, quæ & quando solutio census facienda.

SUMMARIUM.

1. *Qui petit censum tanquam sibi debitum, exprimere debet causam, ob quam ille sibi debeat.*
2. *Sæpe tamen eum, qui petit censum, immemorialis quasi possessio juris hujus juvat.*

Notandum primò. Qui petit Censum, tanquam sibi debitum, exprimere debet rationem, sive causam, ob quam sibi debeat: quia qui petit aliquid, causam petendi allegare debet, ut ait *Glossa hic in notatis*: & quia Censum, cujus causa ignoratur, solvendus non est ex obligatione, sed constare debet, quare, & quando Censum solvi debeat, *arg. h. cap. & rescripti Pontificis.*

Notandum secundò. Multum tamen juvari eum, qui Censum sibi solvi petit, possessione seu quasi possessione juris exigendi Censum, tanquam sibi debitum, ob immemoriam annuam præstationem conti-

Rrr

nuu-